



pletur, soleat continere. Quum itaque bis repugnantiam inter Deum atque hominem Socinianus ex falsis atque petitis voluit efficere, ex falsis autem, vt didici, non veri quid efficiatur; tota nunc iacet, quam ratio formauit, Socinianorum conclusio: Deus et homo de se inuicem praedicari nequeunt.

§. VIII.

At alia commemoras, quae atrocissima inimicorum ratio obiecit. Scio. Sed quanta illa cumque sunt, quibus nos insuper a Socinianis impugnamur: illa si ratio eorum parturiuit, cognosces demum, omnia originem ex modo confutatis petere. Cum istis itaque explosis, haec quoque pariter explosimus. Sumas, vt conuincaris, maximam, si ab explicita discedere forte vis, difficultatem, rei nostrae a Socinianis nexam:

Duae substantiae disparatae et proprietatibus aduersae de vno eodemque indiuiduo praedicari nequeunt.

Deus autem et homo sunt duae substantiae disparatae et proprietatibus aduersae.

Ergo de vno eodemque indiuiduo, quod Christus est, nequeunt praedicari; b)

qualem, dicas, Socinianus materiam et causam habet haecce statuendi, nisi, quod tamen vindicatum fuit, duas substantias disparatas et proprietatibus aduersas combina-

b) *Catech. Racouiens.* loc. cit.